



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Friderici Forneri Theologiæ Doctoris Canonici Ecclesiæ  
Collegiatæ diui Stephani Bambergæ, De Temvrentiæ  
Malo, Eivsque Remediis, Variis Item Scitv Ivcvndissimis,  
nec non vtilissimis de rebus, quæ in ...**

**Förner, Friedrich**

**Ingolstadii, 1603**

Cap. XXIII. Temulentorum effugium duodecimum; à vulgi auiditate in  
vinum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45433**

vsurpata Medicorum consilia, tam dexterè te iuuabunt, quin absque dolore, & expensa, prior illa, ac præhabita valetudo, extiterit firmior, quàm posterior, magno cruciatu atq; sumptu, ab Ebrietate recuperata. Quare si stultum non immeritò diceres eum, qui pecuniæ aceruum temerè in lacum aliquè proieciisset, & causam rogatus, cur id faceret? Hoc vsus prætextu se excusaret, nil curo, parum est quod feci, siccatò lacu, faciliè inuenta omnia recuperabo, licet aliqua sit industria expendenda: multò sanè magis, temulentos, hoc suo effugio tam ineptè se defendentes, ab omni mente ac ratione alienos dices. Ne illud hic reperam, quod dictum sæpius, omniuaria Temulentia ad se mala trahere, non fecus ac Cæcias nubes, quæ à nobis procul, atq; aliena facilius effugiuntur, quàm semel admissa, expelluntur.

## CAPVT XXXIII.

*Obiectio  
duodecima.*

*Temulentorum effugium duodecimum à vulgi auiditate.*

**P**lebeis ista vulgaris est cōsuetudo, vt si cum sym-  
potis, in taberna vinaria, equali symbolo bibant, ne  
eodem precio, alius plus vini hauriat, quàm ipsi, auidissimè  
ingurgitant sese, vt venter, buccæ, atq; gula, non raro  
crepent. Idq; magis eò, quò rarior illis est vini potus, atq;  
ex ea parte, se omni culpa Ebrietatis vacare censent, quod  
vinum, precio impenso cōemptum, ingesserint.

Solutio.

*Solutio.*

Verùm isti non lucrantur, sed perdunt symbolis  
idq; duplici dispendio. Nā primū, valetudinis iacturā  
vt incurrant, necesse est: Deinde graui peccato se  
contaminant. nec, quod intelligam, auarissima illa  
repletio, præsentem sitim, nec futurā aliqua afficere  
potest.

potest delectatione. Præsens sufficienti, ac mensura-  
 to vino iam expleta est, vt quidquid superinfundas  
 nauſeam pariat ac tædium. At futura magis accen-  
 ditur, atq; exasperatur, cui si satisfacere velis, nouum  
 symposium, nouo sumptu ordiendum. Ergo si aliū  
 contempseris, eodem, quo tu, computationis iure bi-  
 bentem, ac vino auidius inhiantem, pro te consulti-  
 us facies, vinum amittendo, vltra quod sufficit, nil  
 amplius, magna deinceps ruina degustare, quàm su-  
 perflua ingerendo, non paruum discrimen, citra ra-  
 tionem, citraq; sementem adire.

*Nec præ-  
 senti nec  
 futuræ siti  
 nimia pro-  
 dest meri  
 infusio.*

## CAPVT XXXIV.

*Temulentorum effugium duodecimum, ab inuete-  
 rata Ebrietatis consuetudine, quasi in natu-  
 ram versa.*

**V**T coronidis atq; auctuarii loco, finē præsentis  
 libri, proximo iâ obtutu cernentes, aliquid hîc  
 superaddamus, Temulentia apud nostrates quoti-  
 diana atq; vſitatissima consuetudo, non intacta no-  
 bis omittenda. Pleriq; autumant, hoc peccatum apud  
 Germanos tolerabilius esse, eò quod natiuū sit & inolitū  
 huic nationi, atq; idcirco non vim solum consuetudinis,  
 sed & naturæ obtineat; vt quemadmodum quædam  
 gentes naturaliter quodammodo in libidinem pro-  
 na, aliæ ad iracundiam faciles; nonnullæ etiam, pro-  
 pter excellens ingeniorū acumen, ad superbiam sunt  
 procliuēs; quæ etiam si non approbentur omnino,  
 culpam tamen peccati ex parte minuunt, atque faci-  
 lius tolerantur. Idem de Ebrietate iudicandum, ad  
 quam hodiè Germania, vt olim de sua Affrica con-  
 querebatur D. Augustinus, magis, quàm à natura,  
 facilis ac prona esse videtur.

Q 4

Solu-